

## De continentia periodica seu de sterilitate facultativa

Paucos abhinc annos hominis procreatio nobis mysterium erat. Quomodo magnus Dominus Deus noster, omnium rerum Creator, hominis generationem disposuisset, nesciebamus. Eratne mulier, habito recte congressu maritali, capax concipiendi per omnes et singulos dies in periodo menstruo contentos? erantne aliqui dies omnino steriles, in quibus mulier, non obstante naturali et perfecta coniunctione maritali, esset impotens ad foetum concipiendum ex ipsa sua naturali dispositione? Ignotum nobis erat. Sed hodie nemo non cognoscit mulierem pati sterilitatem quibusdam diebus sui cycli regularis, et haec cognitio statim problema morale practicum proponit de liceitate usus coniugalis restricti *unice* ad ipsos dies steriles seu agenesicos cum intentione novae vitae procreationem vitandi.

### MOMENTUM HUIUS PROBLEMATIS

Quamvis haec quaestio ab aliquibus moralistis iam sub fine elapsi saeculi agitata fuit, tamen post recentes investigationes a DD. Knaus, Ogino, Smulders et aliis factas non infimum locum occupat. Cuius rei momentum neminem latere potest, qui noverit quam latius in dies serpit lues onanismi et neomalthusianismi, etiam sub praetextu scientifico, quae totius moralitatis, immo totius societatis, exitium secum ducere videntur. Huius exitii ut obstaculum, aliis mediis inutilibus evasis, continentia periodica exhibetur, quae ideo a P. Ferres «Onanisme Remedium» cognominatur, ab aliis forte exaggeratius, tamquam eximium donum Dei, vel etiam ut magna libertatis aurora, saeculo XX viventibus a divina Providentia largita, salutata est, sive ut beneficium quoddam coniugibus totique humano generi beatitudinem praestans<sup>1</sup>.

<sup>1</sup> Dr. J. N. J. SMULDERS, *De la Continence périodique dans le mariage*, Librairie Letouzey et Ané, 1933, Paris, VI, 163 pp.

*Notandum*

Attamen sedulo notandum est huius rei discussionem et solutionem solis confessariis et medicis pro ratione sui muneric vulgandam esse, quippe quae ad directionem animarum et corporis valetudinem maxime necessaria sit. Minime vero illa in vulgi manus propagari debuisset, ut *pro dolor!* a nonnullis, etiam sacerdotibus, factum est. De tali enim agitur re, quae propter suam naturam et prae malitia temporum errori quam maxime exponitur, et in ingentes abusus, onanismum redolentes, propendere potest, si apud quoslibet, ut factum est, diffundatur. Merito ipsi conqueruntur medici de evulgatione huiusmodi rei, cuius discussio et divulgatio, ipsis fatentibus, ultra ephemerides rite scientificas et morales nunquam progredi debuisset.

*Termini problematis*

In tota hac quaestione de continentia periodica duo phenomena prae oculis praecipue sunt habenda: Ovulatio et menstruatio, quae dantur in omni femina normali licet sanctissima et castitate praeminentis, quae pubertatem attigerit et ad menopausiam, circa annum 45 ad 48 locum habentem, nondum pervenerit.

*Ovulatio*

Est descissio ovuli ex ovarii rupto folliculo unius vesiculae Graf. Hoc phenomenon est terminus *a quo* et *ad quem* menstrui cycli omnis feminae. Ovulationem comitatur efformatio *corporis lutei*, quod suis secretionibus internis (simul cum aliis causis) uteri praeparationem (vel dispositionem praemenstruam) efficit, ut, si fecundatio intervenerit, implantatio ovuli apte fieri possit. Fecundatione ovuli habita et inde eius implantatione facta, ipsum ovulum suo influxu transformationem corporis lutei spurei seu menstruationis in corpus luteum verum seu graviditatis efficit, quod impedit menstruationem et, quandiu viget, ulteriore ovulationem. Unde, ovulum fecundatum duo impedit: *et novam ovulationem et futuram menstruationem*—Fecundatione ovuli non facta, nec consequenter eius implantatione, post plures dies (12 vel 14 vel amplius, attento numero dierum cycli) incipit degeneratio corporis lutei, et exinde eius influxus in uterus cessat. Unde sequitur *menstruatio*. *Menstruatio igitur est fluxus extra uterus et vaginam illius sanguinis communis, qui statim ac urget alicuius ovuli ex ovarii descissio confluit abundantius ad uterus, ut calore suo ad magnum ovulationis opus rite perfici-*

*ciendum concurrat.* Menstruatio, igitur, signum est ovulum praecedens vel non fuisse fecundatum vel, si fecundatum fuit, non servasse suam vitalitatem, sive ex accidente naturali, sive ex machinatione arte procurata. In quocumque ex his casibus habebimus abortum.

Menstruatio, ex regula generali, occurrit vigesimo octavo quoque die. Sunt tamen feminae in quibus recurrerit vigesimo tertio, vigesimo quarto aut vigesimo quinto usque ad trigesimum et etiam aliquando, licet admodum raro, ad quadragesimum. Inde menstrui cycli diversitas, quam prae oculis habere debent sectatores huius continentiae periodicae, ut eius beneficio frui possint.

### *Fecundatio*

Ut habeatur fecundatio, haec duo requiruntur: *a)* Simultanea coexistentis in organis internis mulieris et ovuli descissi ex folliculo Graf et spermatis masculini; *b)* simultanea fecundabilitas utriusque elementi, scilicet activa in spermate et passiva in ovulo. Itaque, ut constare possit, utrum fecundatio habita sit vel non, aut saltem an possibilis fuerit vel non, haec quatuor constare debent:

- 1.<sup>a</sup> Quibus in diebus ovulatio verificetur in hac muliere.
  - 2.<sup>a</sup> Ut hoc sciatur constare debet duratio cycli menstrui huius feminae.
  - 3.<sup>a</sup> Tempus fecundabilitatis ovuli seu eius capacitatis ut fecundetur a cellula masculina, i. e. quantum temporis retinet ovulum fecundabilitatem in organis internis mulieris.
  - 4.<sup>a</sup> Tempus vitalitatis fecundativae spermii in organis internis feminae seu quantum temporis retinet sperma vim fecundandi ovulum.
- His omnibus incumbere debuerunt DD. Knaus et Ogino, ut suas conclusiones educerent, quae certe non parum differunt ab iis, quae hucusque sustinebantur, licet aliqua elementa ex his ab aliis Doctribus iam reperta acceperint.

### DE CONTINENTIA PERIODICA

#### HISTORIA

Notissima et simul per vulgata et a pluribus accepta usque ad primum decennium huius saeculi fuit theoria Dris. Capellmann, iuxta quam dies sterilitatis mulieris incipiebant die 15 post ultimam menstruationem. Insuper habebantur ut fertiles 3-4 dies ante futuram menstruationem. Unde in cyclo 28 dierum mulier erat sterilis a die 15 post ultimam menstruationem ad 25. Sed haec sententia in

desuetudinem abiit primis lustris huius saeculi, eo quod eventus ei contrarii saepe invenirentur. Hodie iam nemo eam tenet. Contraria fuit sententia DD. Schröder et Valenti, qui dies magis aptos ad fecundationem mulieris iudicarunt quindecim postremos dies a finito fluxu menstruo praecedenti.

c) Antonelli reicit horum DD. doctrinam<sup>2</sup>, a Ballerini admisam in notis ad Gury<sup>3</sup>, et asserit cum Dre. Guzzi fecundationem mulieris posse fieri semper, si, *forte et cum parva probabilitate*, excipias aliquos dies immediatos cessationi fluxus menstrui.

d) Dr. Th. Van de Velde, natione belga, iuxta doctrinam tunc generatim admissam, conatur periodicae continentiae securitatem omnibus viribus repellere<sup>4</sup>.

Ephemerides bataba-medica «Roomesch - Katoliek Artsemblat», mense octobri 1930, respondens articulo Dris. Smulders, in quo methodum Ogino exponebat, absolute asseruit: «feminam esse unicum esse vivens aptum ad fecundationem quovis tempore recipiendam»<sup>5</sup>.

f) Et ne longius in hac recensione progrediamur tantum meminimus in Congressu Ginecologiae linguae germanicae, a. 1930 habito, Drem. Fraenkel declarasse: «Mulierem posse concipere quolibet tempore». Non est igitur ullus periodus infecunditatis.

g) Attamen tunc temporis, annis 1929-1930, iam nuntiabatur in Europa inventos fuisse a DD. Knaus et Ogino dies agenesicos. Immo Dr. Ogino anno 1923 in variis ephemeridibus iaponicis suam theoriam evulgavit.

h) Dr. Siegel infecundam asserebat esse hebdomadam praeecedentem menstruationem, et insuper dies a 1 ad 4 post eam. Ideo secundum hanc theoriam, in cyclo 28 dierum: sunt agenesici a die 1-4; fecundi a 5-20; iterum infecundi a die 21-28.

Uti patet haec theoria Dris. Siegel includitur in sententias DD. Knaus et Ogino, qui ampliorem periodum dierum sterilium asserunt tum immediate post menstruum habitum tum ante futurum habendum. Ideo non est necesse amplior expositio theoriae Dris. Siegel. Satis erit breviter exponere sententias Doctorum Knaus et Ogino.

Secundum hos DD. cyclus menstruus tres veluti partes continet relate ad sterilitatem:

<sup>2</sup> ANTONELLI, *Medic. Pastor.*, I, n. 224.

<sup>3</sup> BALLERINI, *Theolog. Mor.*, ed. 5.<sup>a</sup>, Romae, p. 917.

<sup>4</sup> TH. VAN DE VELDE, *Trilogie*, t. III, 1929.

<sup>5</sup> SMULDERS, o. c., 22.

1.<sup>a</sup>—11 dies ante menstruationem futuram absolute steriles, iique dies sunt invariables.

2.<sup>a</sup>—5 vel septem dies fecundi secundum Knaus, 8 secundum Ogino, qui succedunt dies steriles praedictos, incipiendo computatio-nem a futura menstruatione.

3.<sup>a</sup>—Reliqui dies, qui supersunt in cyclo iterum sunt steriles. Ii dies possunt esse plures vel pauciores, prout cyclus maiorem vel mi-norem numerum dierum complectatur. Sic in cyclo 28 dierum, Knaus ponit 10, Ogino 9; in cyclo 23 dierum, Ogino ponit 4 dies, Knaus apponet 5-et ita in aliis cyclis diversis.

#### *Discrimen inter utramque theoriam*

Duplex discrimen statuunt inter se ii DD. 1) Terminus a quo computationis. Pro Ogino est prima dies futurae *menstruationis*, sed retro computando: v. g. 11 dies steriles in cyclo 28 dierum ita su-mes: a die 28 ad 18-Pro Knaus est ipsa ovulatio, quae fixe, cons-tanter contingit die 15 ante sequentem menstruationem<sup>6</sup>.

2.<sup>a</sup>—*Vitalitas seu capacitas fecundans nemaspermatis* est pro Ogi-no 3 dierum et in casibus extraordinariis 4 ad 8 dierum; pro Knaus 48 horarum ad summum.

3.<sup>a</sup>—*Fecundabilitas passiva ovari* est pro Knaus 24 horarum; pro Ogino videtur esse minoris temporis, licet non determinet numerum horarum fecundabilitatis passivae ovari.

4.<sup>a</sup>—Uterque tamen Dr. convenit in eo, quod ovulatio potest ac-celerari vel retardari per unum diem.

#### *Dies fertilitatis*

A) Knaus tres tantum dies ponit: *ovulationis* et *duos praecedentes*, in quibus *nemasperma servat vim fecundandi ovolum*. Sed quia ovulatio potest accelerari vel retardari per unum diem, tempus praefinitum fecundabilitatis passivae mulieris est 5 dierum<sup>7</sup>. Ad maiorem securitatem debent addi alii duo dies<sup>8</sup>. Unde  $2 + 5 = 7$ . Qui hoc modo computantur: Praedicti 3 dies fertilitatis + 2 qui eos praecedunt et 2 qui illos sequuntur.

<sup>6</sup> HERMAN KNAUS, *La fecundidad e infecundidad periódica de la mu-jer*, trad. del Dr. A. Fernández. Madrid, 1935, 103-104.

<sup>7</sup> O. c., 105.

<sup>8</sup> SMULDERS, o. c., p. 70.

*Exempla*

Cyclus	Ovulatio	Dies agenesici	Dies genesici	Dies agenesici
26 dierum	die 12 <sup>9</sup>	a 1 ad 8	a 9-15	a 16-26
28 »	die 14	a 1 ad 10	a 11-17	a 18-28
30 »	die 16	a 1 ad 12	a 13-19	a 20-30 <sup>10</sup>

B) In systemate oginensi dies fecunditatis sunt 8 ita distributi: 3 dies fecundabilitatis activae spermatis + 1 fecundabilitatis passivae ovuli, + 2, unus accelerationis et alius dilationis possibilis in ovulatione; + 2 additi ad cautelam pro maiori securitate sterilitatis, e quibus unus *ante* et alter *post* ovulationem ponuntur.

NB. a) Casus extraordinarii —4 ad 8— virtutis fecundativae spermii ab Ogino positi nihil aliud sunt nisi actus excesivae prudentiae Ogino, quia talis hypothesis, secundum Knaus, non est probata<sup>11</sup>. Itaque, demptis casibus extraordinariis, supersunt in methodo oginensi 8 dies fecunditatis mulieris.

b) Modus computandi est a prima die futurae menstruationis in retro.

Cyclus	Menstruat.	Dies agenesici	Dies genesici	Dies agenesici
26 dierum	die 26	a 26 ad 16	a 15- 8	a 7-1
28 »	die 28	a 28 ad 18	a 17-10	a 9-1
30 »	die 30	a 30 ad 20	a 19-12	a 11-1 <sup>12</sup>

*De continentia periodica*

NB. Animadvertere cum clar. Hürt et aliis iuvat, Israelitis, quorum fertilitas inter gentes notoria fuit, secundum legem Mosaicam<sup>13</sup>,

<sup>9</sup> KNAUS-FERNÁNDEZ, o. c., p. 104.

<sup>10</sup> Si cyclus est *multiformis*: v. g. variat a die 26 ad 30, dies fecundi computantur secundum extremos, scilicet a die 9, quae est prima dies fecunda periodi 26 dierum, ad 19 quae est ultima periodi 30 dierum. Unde coniuges cessare debent die 8 in suis relationibus intimis et non possunt eas resumere usque ad diem 20, si secure procedere volunt. Cf. SMULDERS, o. c., p. 122.

<sup>11</sup> SMULDERS, o. c., p. 73.

<sup>12</sup> In systemate Ogino eodem modo ac in systemate Knaus, servato inter utrumque existente discriminе, procedendum est, quando cyclus est *multiformis*. Cf. SMULDERS, o. c., p. 92-94.—MONIN, *La vie intime des époux*, Paris, a. 1937, p. 110, id est, si periodus *multiformis* variat a die 26 ad 30, relations intimae coniugum cessare ad summum debent die 7 a prima menstruationis die et non possunt resumi usque ad 20, quae iterum est prima agenesica.

<sup>13</sup> Mos. 15, 19.

et iuxta huius legis interpretationem, quam alii Iudeorum libri exhibent (Talmud, &) cohabitationem fuisse interdictam per ipsos menstruationis dies (saltem per 5) et per septem subsequentes. Hinc ad commertium matrimoniale admitti potuerunt inde a die 12 post menstruationem; a die ergo, quo secundum methodum a Knaus et Ogino propositam probabilitas fecundationis incipit. Unde fertilitas populi Hebraici etiam ex lege mere biologica facile explicari potest.

### *Censura-Valor harum theoriarum*

Ex his theoriis securior est illa Dris. Siegel eo ipso quod paucos dies sterilitatis assignat. E contra Knaus extendit magis campum sterilitatis, exinde est minus secura quam illa Ogini, sed fere nihil. Quae magis ad proxim deducitur est methodus Ogini. Tamen in hac quaestione de valore seu de securitate harum methodorum idem dicimus de utraque theoria Knaus et Ogino.

### *Quaenam est harum probabilitas aut certitudo*

Secundum medicorum iudicium non est methodus infallibilis. Communiter concedunt habere 80 % probabilitatis. Ideo confessarius nunquam paenitentibus uti rem certam proponat. Immo «ipse nunquam hanc methodum paenitentibus explicet, sed eos ad medicum catholicum-practicum» mittat. Hic explicabit. Opportet ut confessarius «cognoscat aliquem medicum vere prudentem et bonum catholicum, ad quem paenitentes mittere possit». Quia sunt medici, se catholicos dicentes, qui non credunt in omnimodam securitatem methodi Ogino-Knaus et onanismi proxim suis clientibus inique suadent.

Moralistae in varias abeunt sententias. Quidam, ut Ferreres, in postrema editione<sup>14</sup>, vocant eam fere moraliter certam. Idem tenent Vermeersch<sup>15</sup>; Gaston Monin<sup>16</sup>, et alii. Maior tamen Moralistarum pars uti probabilem, non moraliter certam, eam habet. Hoc debet esse criterium confessarii, si paenitentes consilium ab eo petunt.

### *Duae novae Theoriae*

1.<sup>a</sup> Theoria elevatae temperaturae (de alta temperatura).—Iam experientia comprobatum est in muliere subiecta menstruationi duplicem existere corporis temperiem: superiorem et inferiorem, elatam et demissam. Elevatio temperiei corporis est quinque vel sex

<sup>14</sup> FERRERES, II, 1087, vel 1159.

<sup>15</sup> VERMEERSCH: Periodica, 1934, 241.

<sup>16</sup> GASTON MONIN, *La vie intime des époux*, Paris, 1937, 101.

decimorum unius gradus. Comprobatum etiam est initium altioris temperaturae signare momentum processus ovulationis, id est *maturitatis, descissionis folliculi Graf* et migrationis ovuli in tubas Fallopii, quia hic maior corporis calor debetur secretioni cuiusdam hormonae (*progesterine*) ab ovario procedenti et coincidenti cum maturitate ovuli. Quare ovulatio sequitur augmentum caloris, et maxima fecunditas respondet maximae temperaturae, quae tertia die, ab eius phasi, descendit et incipit completa sterilitas usque regularum reparationem, et post hanc, plures vel pauciores dies secundum longitudinem cycli menstrui. Momentum practicum huius theoriae consistit in plena securitate, quam habet femina se, ex facta diurna matutina temperaturae observatione, iam inveniri in periodo sterilitatis et ovulationem fuisse transactam, salvis semper casibus pathologicis. Methodus Ogino-Knaus ex hac theoria confirmatur et perficitur propter certitudinem ovulationis iam habitae.

Haec theoria debetur praecipue DD. Ferin, Mary Barton et Wiesen<sup>17</sup> asserentibus nullam conceptionem habuisse locum in matrimonii, quae, attenta hac norma, unionem coniugalem limitarunt.

Ad elationem caloris cognoscendam usus fit cuiusdam termometri maxima et accuratissimae sensibilitatis speciali modo adaptati (Zylatert) de quo narrationes medicorum amplissime loquuntur. Summus Pontifex, in Allocutione ad Obstetrices Catholicas Italiae 29 octobris 1951 habita, ad hanc novam theoriam alludit.

### *Crisis huius novae doctrinae*

Multae sunt difficultates et incommoda huius praxis.

a) Hoc maxima et accuratissimae sensibilitatis termometrum debet applicari feminae per tres saltem consecutivos menses ante omnem determinationem super momentum ovulationis, ut bene cognoscatur variatio temperaturae huius feminae.

b) Omnino necesse est praevie magna cum diligentia determinare sanitatem mulieris, expositam pluribus eventibus fatigationis, nocturnarum cordis oppressionum, idearum fixarum, insomniorum, et a fortiore omnis indispositionis sanitatis etiam levissimae.

c) Cum diligenter cura per singulos dies temperatura inspicienda est eadem ipsa hora, antequam e lecto surgat.

d) Denique, prae oculis semper habendi sunt tres dies vitalitatis

---

<sup>17</sup> Cf. doctrinam horum DD. apud CHAN. BARBE, DR. en Médec., in *Limit. des Naissances et Consc. Chrétien*. Ed. Famil. de France, Paris, 1950, p. 232.

fecundativae nemaspermatum, ut in eis vitetur unio coniugalis ante ovulationem.

Ex his omnibus patet hanc methodum, ultra molestias quas secum fert, multas habere posse iacturas, speciatim quia sanitas feminae signationes termometricas facile adulterare potest.

### 2.<sup>a</sup> *Theoria Potentialis metri*

Haec novissima methodus, Potentialis — Metrica, fere, saltem practice, ignota in Europa, recentissime inventa est in Statibus Foederatis Americae Septentrionalis. Consistit in metiendo, ope instrumenti ad hoc apto, potentiale musculi uterini, quod variationem exhibet durantibus *phaenomenis cycli menstrualis*.

Haec methodus, semel ac iam satis experientiae subiecta fuerit et correcta si opus sit corrigere aliquid quod adhuc defectuosum sit, poterit esse, ut videtur, securior et minus aleatoria quam illa elatae temperiei, de qua modo locuti sumus, quia, ex una parte, separationes *voltage* sunt grandiores, vel saltem legibiores prae illis termometri; et, ex alia parte, sanitas feminae, saepe parum stabilis, nullum influxum exercere potest super variationes potentilis musculi uterini, dum ipsa instabilitas sanitatis feminae termometri signationes necessario adulterat. Experientia huius methodi, nimis recentissimae, adhuc non est sat sufficiens ad conclusiones solido fundamento firmandas<sup>17 bis</sup>.

### MORALITAS CONTINENTIAE PERIODICAE

Ex hac brevi expositione theoriarum circa sterilitatem facultativam satis nobis ignotescit discrimin magnum existens inter huiusmodi proxim et onanismi exercitium, licet effectus in utroque sit idem, sc. vitare novae vitae procreationem. Nam in illa actus semper ponitur recte et servata semper intrinseca ipsius natura et eiusdem ordinatio in finem; in hoc vero actus intrinsece vitiatur et, voluntate libera, privatur debita eius ordinatione in finem primarium, qui est prolis<sup>18</sup>. Iam vero, res valde diversa est vitare prolem per corruptionem intrinsecam actus et illam vitare per abstentionem ab eodem. Hinc maximum momentum pro confessario et conscientiae directoribus habet bene cognoscere moralitatem «Sterilitatis facultativae seu Continentiae periodicae», quia ut bene notat Pius XII, «licet non sit theologi trac-

<sup>17 bis</sup> PAUL CHANSON, *Art d'aimer et Continence Conjugale* avec un postface: *Art d'aimer et vie spirituelle chretienne* par le R. P. H. M. Féret, O. P., p. 18-20. Editions Familiales de France, 86, Rue de Gergovie, Paris, XVI<sup>e</sup>.

<sup>18</sup> PIO XI, *Casti Connubii*: AAS (1930) p. 361.

tare *quaestiones biologicas*, maxime ei interest earum moralitatem callere; tum ut iudicium certum sibi efformet de huius praxis moralitate, tum ut possit respondere quaestionibus a fidelibus propositis, num ipsis liceat matrimonio uti in solis diebus agenesicis<sup>19</sup>. Et en problema nostrum a maiori vel minori dierum sterilium certitudine independens.

#### QUID STERILITAS FACULTATIVA SEU CONTINENTIA PERIODICA

Est voluntaria coniugum abstentio ab actu matrimoniali in diebus probabilis conceptionis et simul usus coniugii in diebus sterilitatis, agenesicis dictis, ad vitandam novae prolis procreationem.

Unde in continentia periodica haec duo includuntur: *a)* abstentio a relationibus sexualibus diebus fecunditatis et *b)* usus earumdem in diebus sterilitatis. Nam quod coniugibus licitum sit uti coniugio etiam diebus sterilitatis, ut iam dixit Pius XI, nemo est qui contradicat. Gravitas quaestionei est in electione facta a voluntate solum utendi matrimonio diebus agenesicis et simul ab eo abstinendi diebus fecundis. Estne licita haec electio et consequens usus?

In praxi haec quaestio est maximi momenti. Hactenus coniuges in hac tripartita via inveniebantur in gravibus casibus vitae coniugalium: *a)* vel se exponere periculo vitae uxoris in nova conceptione fetus; *b)* vel servare absolutam continentiam, quae est fere heroica pro coniugibus; *c)* vel recursus ad praxes malthusianismi. Prima via est heroica: assumere periculum vitae matris in usu matrimonii; secunda valde difficilis et pauci qui illam percurrere velint; tertia est omnino reprobanda utpote immoralis et dignitatis humanae abiectiva. Quid igitur dicendum? licetne coniugibus eligere usum matrimonii *exclusive* in diebus sterilibus, ut ab hoc triplici incommodo se expediant?

Hactenus dupli modo responsum fuit a theologis huic quaestioni. 1.<sup>a</sup> sententia dicebat hunc modum agendi licitum esse *per se*. Tamen in quibusdam adiunctis necessaria erat causa coherentes ut licite agerent sponsi. Unde breviter sententia ita concepta est: continentia periodica est licita *per se*, illicita *per accidens*, i. e., sine causa sufficienti illam coherente.

2.<sup>a</sup> sententia e contra ita breviter expressa est: Continentia periodica est *per se* illicita, licita *per accidens*, sc. cum causa iusta.

---

<sup>19</sup> PIO XII, *Allocutio ad Obstetrices cath. Italiae*, 29 oct. 1951: AAS 843

*Brevis expositio harum duarum sententiarum*

*Prima sententia est longe communior.* Eam tenent inter alios A. Verhamme<sup>20</sup>; Heymeijer<sup>21</sup>; García Bayón, C. M. F.<sup>22</sup>; Ferreres<sup>23</sup>; Noldin-Schmitt<sup>24</sup>; Meyrand, O. P.<sup>25</sup>; Hürt<sup>26</sup>; Dr. Latz<sup>27</sup>; Regatillo<sup>28</sup>; Payen<sup>29</sup>; Merkelbach<sup>30</sup> et alii.

Haec sententia ad liceitatem electionis coniugum habendi relationes sexuales unice in diebus sterilibus has exigit condiciones praeviias:

1.<sup>a</sup> Quod electio dierum agenesicorum fiat ex mutuo consensu; secus esset graviter illicita ob iniustitiam illatam invito.

2.<sup>a</sup> quod actus ponatur omnino *recte*, et nihil efficiatur a coniugibus illius rectitudinem impediens.

3.<sup>a</sup> quod non fiat ob solam delectationem carnalem. Damnata est enim haec prop. 9.<sup>a</sup> ab INNOC. XI: «Opus coniugii ob solam delectationem exercitum omni penitus culpa caret ac defectu veniali»<sup>31</sup>.

4.<sup>a</sup> Quod coniuges dispositi sint ad prolem acceptandam, si haec contra eorum intentionem supervenerit.

His positis, veniamus ad argumenta breviter exponenda. 1<sup>um</sup>.— Moralitas desumitur ex *objeto*, ex *fine* et ex *circumstantiis*. Atqui actus coniugalis electus *unice* in diebus sterilibus non est illicitus neque ex *objeto* neque ex *fine* neque ex *circumstantiis*. Ergo.

Maior iam nota est ex tractatu de Morali fundamentali. Deficiente uno ex his elementis actio est mala iuxta axioma: «bonum ex integra causa, malum ex quocumque defectu»: ex. g.:

a) Onanismus est malus ex suo intrinseco *objeto*, quia substantialiter corrumpt actum generationis. Item blasphemia, mendacium, etc.

b) Eleemosyna bona est in se, sed facta ad seductionem puerilae est mala propter finem malum.

c) Oratio in se bona fit mala, si tuo officio deficis propter eam.

Minor per partes.

<sup>20</sup> A. VERHAMME: Collat. Brugens., aa. 1930, p. 360; 1931, p. 178 ss.; 1934, p. 459 ss.; 1935, p. 392 ss.

<sup>21</sup> HEYMEIJER, *De la Contin. Period. dans le mariage*, par le DR. SMULDERS, supra citat. 1<sup>er</sup> Appendix, pp. 163-188.

<sup>22</sup> GARCÍA BAYÓN, C. M. F.: *Illustr. del Clero*, aa. 1933, 1934 y 1935.

<sup>23</sup> FERRERES: *Estudios Eclesiásticos*, Madrid, abril de 1935.

<sup>24</sup> NOLDIN-SCHMITT, *De Sexto Praecepto*, n. 75 et 78.

<sup>25</sup> MEYRAND, O. P., *Un problema moral*, Subirana-Barcelona.

<sup>26</sup> HÜRT: N. R. Theol., 1931, Louvain (Belgique).

<sup>27</sup> DR. LATZ, *Rhythm of sterility*, a. 1932 (in Chicago).

<sup>28</sup> REGATILLO-ZALBA, *Theologiae Moralis Summa*, t. III, 997-998.

<sup>29</sup> PAYEN, *Déontologie Médicale*, Append. n. 500-606.

<sup>30</sup> MERKELBACH, *Theolog. Moralis*, t. III, 932, 3.

<sup>31</sup> DB n. 1159.

A) *Ratione obiecti.* Nam obiectum continentiae periodicae immediatum in tota sua amplitudine sumptum est duplex, quia sponsi liberrime eligunt a) abstentionem usus coniugalis in diebus genesisis et b) positionem illius in diebus sterilibus; *finis operis* in his actibus est in a) *non habere filios*; in b) *sedatio concupiscentiae*. His in actibus nihil contra rationem apparet in cursu normali rerum. Non in abstentione, quia nulla lex eos cogit ad utendum matrimonio; non in usu in diebus sterilibus, quia liberi sunt ad utendum in diebus sui placiti, eo quod nulla lex, salvis adjunctis exceptionalibus, id eis prohibet.

*Explanatio.* a) *Quoad abstentionem.* Nulla lex naturalis nec officium ex contractu dimanans, supposito mutuo coniugum consensu, obligat eos ad usum matrimonii.

1) Si est ad servandum etiam perpetuam castitatem, docet Pius XII in Allocutione ad Obstetrices Catholicas Italiae. Item cum approbat ingressum duorum coniugum in religionem vel quod vir sit sacerdos et uxor religiosa vel vivat in domo religiosa.

2) *Si est sine observantia plena castitatis.* Praeceptum Genesis: «Crescite et multiplicamini»<sup>32</sup>, si verum praeceptum est, refertur ad genus humanum, non ad individua. Nemo enim adhuc excogitavit singulos homines teneri ad statum matrimoniale amplectendum et ad filios procreandos. S. Thom. haec scribit: «Dupliciter est aliquid debitum (ratione praecepti). Uno modo ut impleatur ab uno: et hoc debitum sine peccato praeteriri non potest. Aliud est debitum impletum a multitudine. Et ad tale praeceptum non tenetur quilibet de multitudine... Praeceptum datum de generatione rescipit totam multitudinem hominum... Et ideo sufficienter providetur humanae multitudini, si quidam carnali generationi operam dent»<sup>33</sup>. Non est igitur necessarium praeceptum individuale generandi filios. Ipsa inclinatio naturae ad usum venereorum et amor filiorum, maxime instinctus maternitatis in muliere satis est lex obligans ad utendum matrimonio.

3) Nec est obligatio utendi in diebus determinatis, i. e. fecunditatis. Licet certum sit matrimonium esse unicum medium licitum propagandi genus humanum, pariter certum est ex ipso contractu matrimoniali non deduci omnia et singula matrimonia debere suos

<sup>32</sup> Gen 1, 28.

<sup>33</sup> S. THOM., 2-2, q. 152, a. 2 ad 1.<sup>um</sup> Sed haec responsio ad 1.<sup>um</sup> hic allegata non est ad rem. Nam Angelicus agit de illis qui profitentur virginitatem, et qua tales non frangunt praeceptum Genesis, quod omnes catholici concedunt. Sed hic non est quaestio de virginibus, sed de uxoratis qui utuntur matrimonio unice in diebus agenesicis.

habere filios. Nam can. 1081 § 2 statuit: «Consensus matrimonialis est actus voluntatis quo utraque pars tradit et acceptat ius in corpus, perpetuum et exclusivum, in ordine ad actus per se aptos ad proles generationem». Unde est ius *ad actus per se aptos* ad generationem proles. Ideo sequitur duplex obligatio coniugibus inhaerens: *a)* obligatio reddendi debitum alteri coniugi legitime petenti, nulla existente causa ab hoc officio excusante; *b)* obligatio ponendi actum per se aptum ad generandam novam vitam; ideo et alia obligatio ponendi recte talem actum et non utendi artificio quo ille vitietur et amittat suam efficaciam.

4) Distinguendum igitur est *inter ius et usum iuris*. Ius est essentiale contractui matrimonii, non autem usus iuris. Hic est obiectum concordiae inter sponsos. Unde possunt, ut iam dictum est, huic usui valedicere temporaliter vel in perpetuum, ad hos vel ad illos dies. Ideo et ad dies genesicos tantum.—Insuper, certum est generationem filiorum esse finem primarium matrimonii<sup>34</sup>, sed non *unicum*, et multo minus indispensabilem; secus nec vetuli nec steriles matrimonium validum contrahere possent. Sunt enim alii fines matrimonii: mutuum adiutorium et remedium concupiscentiae, licet subordinati fini principalis matrimonii. Exinde patet matrimonium in individuo consideratum iustificari *per se* ex his finibus, dummodo finis primarius non excludatur *positive* a voluntate, quae est causa contractus matrimonialis.

Usus matrimonii, igitur, in diebus sterilibus potest poni a coniugibus cum his duobus condicionibus: 1.<sup>a</sup> quod nihil *contra naturam* agant, sed sequantur leges, quas Deus Providentia sua statuit; 2.<sup>a</sup> quod sint dispositi ad accipiendum filium si Deus dederit contra sua desideria et praevisionem.

Aliqui auctores huius sententiae defensores, ut melius suam doctrinam sustinere possint, distinguunt *inter actionem hominis et actionem naturae*. Unde aiunt: In continentia periodica satis est ut coniuges ponant actionem suam liberam recte, quae de se sit apta ad procreationem proles. Ad hoc tantum obligantur ex can. 1081 § 2.—Si igitur unio coniugalis recte facta non habet efficaciam ad generationem proles, hoc pendet a natura, quae in determinatis diebus non tribuit efficaciam illi, i. e. legibus biologicis defectus *ovulationis* in illis. Hinc Pius XI in Encyclica *Casti connubii* ait: «Habentur enim tam in ipso matrimonio quam in coniugalibus iuris usu etiam secundarii fines ut

<sup>34</sup> Can. 1013 § 1.<sup>a</sup>; DB 1159.

sunt mutuum adiutorium, mutuusque fovendus amor et concupiscentiae sedatio, quos intendere coniuges minime vetantur, dummodo salva sit semper intrinseca illius actus natura ideoque eius ad primarium finem ordinatio»<sup>35</sup>.

c) Consideratis finibus immediatis ex una parte *abstentionis deliberatae* in diebus fecundis et ex alia unionis coniugalnis in sterilibus, nulla appetet inordinatio contra rectam rationem.

a) Non in prima, quia desiderium non procreandi filios *de se* est indifferens. Habere filios et eos bene educare laudabile est. Sed in aliquo casu mere illos habere potest esse reprobabile. Unde attendendum est ad finem agentis, vel ad circumstantias sicut in omni actu indifferenti. Iam vero finis agentis habendi vel non habendi filios in nostro casu non est dishonestus nec contra rationem.

Ad rem Noldin-Schmitt: «Non est necesse, ut coniuges in usu matrimonii generationem prolis velint, immo *ex iusta causa* optare possunt, ne ea generetur et ex hoc desiderio usum matrimonii restringere ad illum tempus, quo minor est spes futurae conceptionis. Requiritur tamen, ne intentio prolis excludatur positive, i. e., ne quidquam fiat, quo actus ita in se deformatur, ut fini suo naturali iam non sit aptus»<sup>36</sup>. Moralitas igitur pendet a fine agentis seu intentione coniugum.

b) Quoad legitimationem actus sexualis diebus infecundis iam diximus sufficere finem secundarium, sc. mutuum adiutorium, sedationem concupiscentiae, fovere mutuum amorem, quos vel saltem unum ex iis oculis habere debent coniuges.

NB. Si quis quaereret voluptatem ob solam voluptatem excludendo positive alium finem peccaret venialiter saltem. Ideo damnata est propositio 9.<sup>a</sup> ab Innoc. XI «opus coniugii ob solam voluptatem exercitum omni penitus culpa caret ac defectu veniali»<sup>37</sup>, ita ut in ultimum finem moveri non possit— At iterum NB. non esse prohibitum delectatione ad actum *moveri*, quia delectatio ideo addita est a Creatore actibus, ut homines alliciat ad hos ponendos. Quamvis ergo aliquis moveatur ad actum per delectationem, si ponit eum ordinatum et moderatum, ipse actus tamquam licitus vel saltem non prohibitus apprehenditur et ideo homo licite hanc honestatem approbat et intendit; ergo actui nihil deesse intelligitur, quominus naturae rationali sit conveniens; ideoque ordinabilis et obiective ordinatus in Deum,

<sup>35</sup> AAS 22 (1930) 561 n. 60; DB 2241.

<sup>36</sup> NOLDIN-SCHMITT, *De sexto praec.*, n. 78, 3.<sup>o</sup>

<sup>37</sup> DB 1159.

finem ultimum»<sup>38</sup>. Ergo continentia periodica in suo obiecto considerata non est illicita. Ita auctores huius sententiae patroni<sup>39</sup>.

B) *Moralitas ex circumstantiis.* Alius fons moralitatis sunt circumstantiae. Cum continentia periodica in se sit indifferens, quaerenda est eius malitia, num forte ex circumstantiis proveniat. Iam vero haec possunt esse: a) *Mutuus consensus coniugum, liber, non extortus* vel alio medio illico. Sed hoc iam exclusum est in quattuor conditionibus praeviis expositis. NB. si consensus sit impositus ex alia ratione superiore: v. g. ex gravi periculo conceptionis, iam sumus extra nostram quaestionem.

b) *Incommoda* quae possunt sequi ex continentia periodica: v. g. periculum relationis adulterinae cum tertia persona, praxis neomalthusianismi inter ipsos sponsos in diebus fecundis.

c) *Bonum commune*, nempe propagatio humani generis, quia, licet Deus hoc opus non imposuerit individuis, difficile excusantur coniuges divites, sani, a generanda numerosiore familia, immo haec agendi ratio scandalum in populo generare potest; d) Si bonum et pax patriae exigeret haeredem regni; e) Pax familie aliquando exigit usum matrimonii tempore fecunditatis.

Hae circumstantiae et aliae similes non tangunt moralitatem continentiae periodicae ex obiecto. Relinquent illud in sua indifferentia, sed ipsi praxi continentiae periodicae addunt malitiam; nam incommoda illa notata exigunt aliquam *causam iustum*, vi cuius possit permitti periculum, cui coniuges exponuntur propter talem observantiam<sup>40</sup>.

C) *Moralitas ex fine.*—Si continentia periodica ratione obiecti est indifferens, si circumstantiae non faciunt eam immoralem, videndum est quid accipiat ex fine operantis. Quia actus ex obiecto indifferentes, ut in nostro casu, in ordine ad ultimum finem hominis accipiunt suam primam moralitatem ex fine operantis<sup>41</sup>. Ergo coniuges in praxi continentiae periodicae agentes ex motivo honesto et iusto, i. e. causa sufficienti ad temperandam suam relationem sexualis ad solos dies ageneseos, tunc agunt licite. E contra si motivum, quo ducuntur sponsi in suis relationibus coniugalibus est extra orbitam honestatis, tunc illi peccabunt saltem leviter.

<sup>38</sup> NOLDIN-SCHMITT, l. c., n. 2; conf. *De princ.*, n. 88.

<sup>39</sup> Cf. specialiter EXMUM. ET RVMUM. DR. MUÑOYERRO, *La Mor. Med. en los Sacramentos de la Iglesia*, n. 147. Madrid.

<sup>40</sup> Cf. EXMUM. ET RVM. DR. MUÑOYERRO, o. c., n. 146.

<sup>41</sup> NOLDIN, *De princ.*, n. 77.

1) *Motiva mala*.—Si coniuges observant dies steriles: *a)* ad vitandos labores ordinarios maternitatis; *b)* onera filiorum et eorum educationis; *c)* ob sensualitatem; *d)* ob avaritiam; *e)* ob vanitatem et ob excessivum desiderium commodidatum et aliorum similium, certe tunc *inhoneste* agunt. Sed notandum est, quod tunc non peccant contra castitatem, sed contrahunt malitiam motivi praxim continentiae periodicae inspirantis. Ordinarie peccatum erit leve, at posset etiam esse grave. «Indubitanter esset grave peccatum desiderium non habendi filios cum intentione vitandi eorum conceptionem quocumque medio.» Tunc enim voluntas est intrinsece vitiata hac prava intentione. Exinde fit quod continentia periodica per se est licita, mala autem *per accidens*, graviter vel leviter prout motivum sit graviter vel leviter in honestum.

2) *Motiva honesta* sunt etiam multa. Haec possunt esse ex parte corporis et ex parte animae, viri vel mulieres: *a)* medica, *b)* socialia, *c)* oeconomica, *d)* eugenica. Sed quia haec infra erunt exponenda, satis est earum classes enumerare. Unde conclusio huius sententiae:

*Continentia periodica per se* est licita, *per accidens* potest fieri illicita. Ideo ad eius rectum usum requiritur causa iusta et honesta, quae, ut diximus, est multiplex<sup>42</sup>.

*Argumentum auctoritatis*. A Sacra Paenitentiaria quaesitum fuit: An licitus sit usus matrimonii illis tantum diebus, quibus difficilior est prolis conceptio? et respondit die 16 iunii 1880: «Coniuges praedicto modo matrimonio utentes inquietandos non esse, posseque confessarium sententiam de qua agitur illis coniugibus, caute tamen, insinuare, quos alia ratione a detectabili onanismi crimine abducere frustra tentaverit»<sup>43</sup>.

*b)* Item Sacra Paenitentiaria (ad novum dubium magis adaptatum ad theoriam Ogino-Knaus) respondit die 20 iulii 1932: «An licita sit *in se* praxis coniugum qui, cum ob iustas et graves causas prolem honesto modo evitare malint, ex mutuo consensu et motivo honesto a matrimonio utendo abstinent praeterquam diebus, quibus secundum quorundam recentiorum theorematum ob rationes naturales conceptio haberi non potest?» — Respondit: «Provisum est per responsionem S. Paenitentiariae die 16 iunii 1880 datam.»

<sup>42</sup> Cf. EXMUM. ET RVMUM. DR. MUÑOYERRO, o. c., n. 146.

<sup>43</sup> Auctores 2<sup>ao</sup> sententiae respondent huic argumento ex responsione S. Paenit. desumpto: «Posse confessarium caute insinuare continentiam periodicam incorregibilibus onanistis...» nullatenus sequitur, hanc esse *per se* licitam: potest enim explicari tamquam licitum consilium minoris mali, vel diminutionis mali maioris in eadem materia inordinati usus matrimonii.

Huic secundo responso S. Paenitent. potest applicari explicatio data priori responso, eo vel magis quod in hac secunda consultatione iam ponuntur iustae et graves causae existentes ad vitandam prolem, modus honestus utendus, mutuuus consensus coniugum in talem praxim.

Unde nihil probat in favorem huius sententiae.

B) Continentia periodica secundum aliam sententiam est illicita *per se* obiective; licita *per accidens* gravibus causis existentibus.

Tenent hanc sententiam Moralistae primi subselli ut P. I. Salsmans, S. I.<sup>44</sup>; P. H. Van Mierlo M. S. C., Prof. Theol. Moralis<sup>45</sup>; Mayer<sup>46</sup>; P. Mag. Alb. C. Doodkorte, O. P.<sup>47</sup>; L'Ami du Clergé<sup>48</sup>; Dr. Mañá<sup>49</sup>; R. P. Benedictus Lavaux, O. P.<sup>50</sup> et alii.

Auctores huius sententiae tenent in systemate continentiae periodicae non debere considerari *actus materialiter in se, separatos inter se, independenter unum ab alio, sed in suo complexu industriosae electionis voluntatis*, qua certi dies reiciuntur *quia fecundi*, alii assumuntur praecise *quia infecundi*. Ideo omnes actus coniugum continentiam periodicam exercentium considerari debent tamquam partes unius et eiusdem seriei affectatae voluntarie qualitate temporis libere electi, et consequenter sub influxu illius voluntatis industriosa, quae efformavit complexum *abstentionis* in diebus fecundis et *actuationis* in diebus sterilibus. Ita apparet in honestas continentiae periodicae.

Probatur. a) In honestum est agere propter solam delectationem sensibilem exclusive, i. e. excluso positive quovis alio fine altiore. Hoc autem accidit in continentia periodica. In continentia periodica *positive* excluditur finis altior procreationis et educationis prolis, quia industriosa voluntas eligens *tempus agenesicum ut tale* abrumpit in coitu nexum medii ad finem principalem, et tamen retinet in coitu opus, quod a natura habet delectationem. Ergo sistitur in delectatione tamquam in fine primario. Ergo agitur exclusive propter delectationem, reiecto positive a voluntate fine altiore.

<sup>44</sup> I. SALSMANS, S. I., In Ephemeride Theolog. Lovanienses, iul. 1934, p. 562 s.

<sup>45</sup> H. VAN MIERLO, M. S. C., In Mannenadel en Vrouwensser, iun. 1935 (Hollandiae).

<sup>46</sup> MAYER, Erlaubte Geburten-Beschränkung, apud Bonifacius Druckerei, Paderbon. Hoc opus e commercio ab ipso auctore fuit ablatum, causa non manifestata.

<sup>47</sup> MAG. ALB. C. DOODKORTE, O. P. In R. K. Artsenblad, iul. 1935 (Hollandiae).

<sup>48</sup> L'ami du Clergé, n.º 8, nov. 1934.

<sup>49</sup> DR. MAÑÁ, Un caso grave de conciencia en el matrimonio, ed. VI, 1947, Subirana, Barcelona.

<sup>50</sup> B. LAVAUX, O. P., Le monde moderne et le mariage chretien, p. 417-422.

Nec dicas: sunt etiam alii duo fines: mutuus amor fovendus et mutuum adiutorium, quia ii fines possunt esse fortasse concomitantes, sed in continentia periodica non agitur propter eos. Nam ii fines eodem et meliori modo obtainentur in concubitu tempore genesico habito, et tamen in continentia periodica non eligitur tempus fertile, sed sterile, in quo habetur delectatio sine periculo conceptionis. Ergo in continentia periodica agitur propter delectationem.

b) In continentia periodica destruitur *hierarchia finium matrimonii*, et inde illius in honestas. Finis primarius matrimonii est generatio prolis<sup>51</sup>. Exercentes continentiam periodicam positiva voluntate excludunt generationem, ideo eligunt ad usum matrimonii dies steriles. Ergo sistunt in fine secundario non hunc ordinantes ad finem primarium. Iam vero, «Qui ulteriore ergo finem etiam primarium excludit, peccat, quia bonum honestum repudiat, i. e. honeste agere renuit»<sup>52</sup>. Et De Smet: «Positivam inordinationem incurrit, qui copulam exercet, generationem uti finem excludendo positive»<sup>53</sup>. Ergo continentia periodica est *per se* illicita.

*Per accidens potest esse licita.* «Cum agatur hic, ait Salsmans, de voluntatis dispositione ad normas morales moderanda (non de actibus externis, qui normaliter factis supponuntur), omnibus motivis quae hic et nunc in voluntatem influant simul (ut debent) perpensis, vindendum utrum propter *accidentes extrinsecas* circumstantias, seu rationes compensantes, iam *rationabile* ac proin licitum sit sistere in finibus secundariis matrimonii et aversari a fine primario hic et nunc consequendo.—Etenim probari nequit finem primarium nunquam a voluntate posse respui: haec est enim vis finium secundariorum, ut *rationabile* sit, ac proin honestum, in iis sistere, *dummodo* ad hoc detur ratio *conveniens*»<sup>54</sup>.

Unde concludunt: Continentiam periodicam esse licitam *per accidens*, si adest causa iusta sufficiens ad sistendum in finibus secundariis<sup>55</sup>.

Si a patronis huius sententiae quaeris motiva sufficientia ad licitum exercitium continentiae periodicae, eadem tibi motiva plus minusve exhibent ac patroni alterius sententiae. Unde in praxi iam ante Allocutionem Romani Pontificis ad Obstetrices Catholicas Italiae, omnes

<sup>51</sup> C. I. C., can. 1013, § 1.

<sup>52</sup> VERMEERSCH, *De Castitate*, Romae, 1921, n. 226, p. 228.

<sup>53</sup> DE SMET, *De sponsal. et matrim.*, Brugis, 1927, 2.209, p. 181.

<sup>54</sup> SALSMANS, l. c., p. 565-566.

<sup>55</sup> *Conclusio utriusque sententiae est: Ad licitum usum continentiae periodicae requiritur causa gravis vel saltem iusta.*

moralistae catholici exigebant *bonam rationem* existentem in coniugibus, ut ii sine ullo peccato sistema continentiae periodicae in praxi exercentes viverent.

Quaenam sint haec motiva, quorum vi licitus fit usus sterilitatis facultativae, infra dabimus. Multae sunt redargutiones, quibus patroni utriusque sententiae vim argumentorum sententiae adversae enervare conantur.

Unam tantum seligimus, quae ita se habet:

Coniuges individui non tenentur generare prolem. Ergo continencia periodica nequit esse per se illicita.—Transmisso antecedenti, non universaliter certo, prout hic effertur, respondemus.—Si hoc significat coniuges mutuo consensu posse servare continentiam vel correcte coire tempore sterili, conceditur. Sed nullatenus exinde eruemus, nisi verbis ludere velimus, quod *rationabile* est in voluntatis dispositione non servare hierarchiam finium, vel sistere in finibus secundariis ubi ad hoc nulla datur bona ratio, vel velle frui delectatione quin nunquam finis naturalis delectationis attingi possit. Iam vero omne irrationalis, est etiam contra ordinem moralis, ac proin *illicitum*, utsipote contra virtutem prudentiae.

Hactenus de opinionibus inter theologos agitatis circa moralitem sterilitatis facultativae. Videamus nunc doctrinam a Romano Pontifice, Pio XII in laudata allocutione traditam.

#### *Doctrina Allocutionis ad Obstetrices Catholicas Italiae*

Quid igitur de liceitate continentiae periodicae docet Papa? Estne licita?

Huic quaestioni Sua Sanctitas respondet per gradus. Duae hypotheses in primis sunt considerandae: 1.<sup>a</sup> *hypotesis seu gradus primus*. «Si executio illius doctrinae seu theoriae, hoc tantum dicit: posse coniuges iure suo coniugali uti etiam diebus naturalis sterilitatis, nihil est obiciendum; (ratio est), per hoc enim nullum impedimentum vel damnum offerunt usui actus naturalis eiusque naturalibus consequentiis. In hoc ipso executio novae doctrinae, de qua loquimur, distinguitur reipsa a malo usu (onanismo), quem commemoravimus, qui que consistit in actu ipso depravando.

2.<sup>a</sup> *Hypothesis seu secundus gradus*: Quod si ulterius progreditur, permittendo videlicet coniugalem actum in illis *unice* diebus, tunc coniugum agendi ratio attentius perpendi debet.

Duae igitur conjecturae occurrunt animo in hac secunda hypothesi.

1.<sup>a</sup> Si in contrahendo matrimonio unus saltem ex coniugibus voluntatem habuerit ad sterilitatis tempora coartandi, *non modo* usum,

sed *ipsum ius coniugale*, ita ut alter coniux ceteris diebus ne ius quidem habeat petendi debitum, hoc includeret essentialē defectum consensus matrimonialis, qui matrimonium ipsum irritūm faceret, cum ius quod uterque coniux in alterum habet, quodque ex contractu coniugali profluit, sit continuum, permanens, non vero periodicum.

2.<sup>a</sup> *coniectura*. Si contra limitatio illa actus coniugalis intra dies infecunditatis naturalis, non ad ipsum ius, at ad iuris usum refertur, tunc matrimonium haud dubie ratum est, tamen, quoad morum doctrinam, honeste vel inhoneste coniuges hoc modo agunt, prout voluntas observandi constantes illas periodos, nititur necne moralibus rationibus idoneis atque certis»<sup>56</sup>.

Duo in ultimis verbis docet nos Summus Pontifex. *a)* quod voluntas *unice* servandi continentiam periodicam non irritat contractum matrimoniale; *b)* quod constans voluntas servandi constanter sterilitatem facultativam est licita vel non, prout dentur vel non causae certae et sufficietes, i. e. enuntiatur thesis practica utriusque sententiae modo expositae, nempe continentia periodica est licita, si adsunt *causae certae et idoneae* illam *cohonestantes*.

Insuper, contra primae sententiae argumenta theorice exposita de sufficientia actus coniugalis recte positi et de intentione accipiendi prolem, si contra eorum voluntatem veniret, ad liceitatem continentiae periodicae, addit Summus Pontifex: «Quod coniuges naturam actus non depravent, paratiq; sint ad excipiendum et educandum filium, qui, contra adhibitam prudentiam, in lucem edatur, non sufficit per se solum ad asseverandam rectam eorum intentionem atque summam causarum ipsarum ad honestatem ipsius actus requisitarum.» Unde contra theoreticam primae sententiae ratiocinationem hoc tenendum est: *a)* quod non satis est positio recta actus coniugalis in diebus in secundis simul cum voluntate acceptandi prolem si habeatur; *b)* quod, insuper, requiritur recta intentio in tota serie actuum coniugalium *una cum causis certis et idoneis* continentiam periodicam cohonestantibus.

Ratio assertionis ita proponitur a Romano Pontifice: «Matrimonium obligat vitae statui [proprio, specifico] qui, ut quaedam iura confert [usum actus venerei], ita iubet coniuges *positivam praestare operam*, ad ipsum statum coniugalem pertinentem, nempe prolem»<sup>57</sup>. Si nunc quaeris, potestne dari casus in quo licitum sit aliquando in

<sup>56</sup> AAS 43, 1951, 843 s.; L'Osservatore Romano, n. 252, pp. 3-4; 29 oct. 1951.

<sup>57</sup> AAS I. c., 844.

statu coniugali non praestare *operam hanc positivam scilicet prolem?* —Respondet tibi Papa: Ita est. Quia in hoc statu matrimoniali «potest applicari principium generale, ex quo licet omitti *positivam praestare operam*, si iustae causae, sciunctae a bona voluntate eorum, qui illa obligatione tenentur, ostendant illam operis positivi positionem non esse opportunam, vel probent non posse a petente, id est, in hac re, *ab hominum genere*— iuste exigi»<sup>58</sup>. Romanus Pontifex applicationem principii generalis de praestatione solvenda inducit veluti personificando matrimonii statum et genus humanum in quodam quasi pacto gerendo, hoc modo: Ex una parte genus humanum dicit statui coniugali: «*Tibi confero exclusivum ius utendi voluptate venerea hac tamen condicione, ut fructus naturales huius usus mihi tribuas.*» Et ex alia, status coniugalis quaerit ab ipso genere humano: «*Obligatio tribuendi tibi fructus huius usus, habetne aliquam exceptionem, id est, possumne uti aliquando voluptate venerea sine obligatione praestandi tibi prolem non generando eam, quamvis possim illam generare?*» Et genus humanum, attento principio a Papa allato, respondet: Utique, dantur exceptiones et sunt: «*Quoties ex causis gravibus a tua bona voluntate independentibus inopportunum aut non aequitativum sit praestationem fructuum usus venerei a te exigere.*»

*Condicio Ethico-iuridica coniugatorum.*—Constituto principio fundamentali *de iure et obligatione* ipsius status coniugalnis, pergit Romanus Pontifex ad declarandam ipsorum coniugatorum condicionem ethico-iuridicam, provenientem ex novo vitae statu ab ipsis assumpto, dicens: «Contractus matrimonialis, qui coniugibus ius confert obsequendi naturae inclinationi, eos constituit in determinato statu vitae, qui est coniugum. Atqui natura Creatorque ipse iubent coniuges, matrimonio per actum huius status proprium, specificum, humani generis conservationi prospicere. Hoc est ministerium proprium, in quo matrimonii praestantia, id est «bonum prolis» ponitur. Singuli homines et societas, populus et respublica, Ecclesia denique ipsa, ex divino consilio, tantum ex secundo matrimonio quoad suam existentiam pendunt. Contrahere igitur matrimonium, constanter uti facultate illius propria in eoque solum licita, et tamen semper et consulto, nullaque *causa gravi*, primarium suum officium effugere, idem est atque pecare *contra coniugalis vitae sensum*»<sup>59</sup>.

<sup>58</sup> Ib., 844.

<sup>59</sup> Ib., 845-846.—Aemilius Springetti, S. I., Univ. Gregorianae Professor, Romae, vertit: *contra coniugalis vitae naturam: Period de re mor., can. et liturg.*, 40 (1951) 371.

Ex his verbis clare elucet *peccare* illos coniuges, qui *continuo et habitualiter* matrimonio utentes huiusque actum specificum exercentes, pariter *constanter et semper* naturalem huius usus effectum circumstantia temporum impediunt. Nam si solum plures vel pauciores actus temporibus agenesicis ponuntur, finis primarius matrimonii in discrimen non vocatur<sup>60</sup>.

Hinc etiam apparet quam futile sit obiectio: si impedito prolis in casibus particularibus continentiae periodicae non est peccatum, nec etiam erit onanismus coniugalis ob impeditam prolem. Siquidem discrimen est essentiale inter actum onanisticum et actum continentiae periodicae, licet effectus «prolis impeditae» in utroque casu sit idem. — Malitia onanismi petitur ex corruptione actus, continentiae periodicae praecise ex prole impedita. In onanismo ipse actus coeundi *in se* corrumpitur, in continentia periodica talis actus manet naturaliter integer. Exinde quilibet actus onanisticus est intrinsece malus, ideoque semper illicitus sicut quilibet actus loquelae per mandacium corruptus est intrinsece inordinatus. E contra, sicut non quilibet usus loquelae, ex electo medio restrictionis mentalis latae dictae ad mentis manifestationem, non est illicitus, quamvis non obtineatur eius finis naturalis, intelligentia dictorum, ita non quilibet usus matrimonii ex electo die agenesico est illicitus, licet non consequatur suum finem naturaliem, prolis generationem<sup>61</sup>.

Item ex verbis Papae patet obligationem *status coniugalis*, de qua agitur, nempe de prole praestanda, ab rationem allatam afficere

- 1) non omnes coniuges, sc. eos qui ex virtute matrimonio non utuntur, sed eos qui suo iure coniugali plene utuntur;
- 2) non omnes et singulos horum coniugum actus completos, sed habitualem iuris coniugalis completum usum;
- 3) et hanc, inquam, obligationem esse obligationem alicuius *legis positivae*, quia est de ponendo, non de omittendo actu, et de circumstantia temporis in quo ponitur vel non ponitur actus;
- 4) Sequitur obligationes coniugum esse easdem et iisdem proprietatibus ac obligationes status matrimonialis, quia ipsi sunt in eo ipso statu constituti<sup>62</sup>.

His positis, iam apparet a) quam bene Papa applicet ad hanc coniugum positivam obligationem commune de lege positiva principium, nempe: *Quod lex positiva non obligat cum incommodo proportionate gravi, ipsi legi extrinseco.*

<sup>60</sup> Quia ex usu illius pariter facto in diebus fecundis proles obtinetur.

<sup>61</sup> Cf. HÜRTH: Periodica de re mor., can. et liturg., 40 (1951) 390-393.

<sup>62</sup> Cf. HÜRTH, l. c.

b) Quod ut haec lex non obliget in casu particulari, seu ut detur exceptio, requiritur incommodum *grave*, sc. tale quod vir prudens et timoratae conscientiae *dicit notabile*; quia obiectum huius legis positive est aliquod bonum notabile, debita nempe humani generis conservatio et propagatio.

c) Ergo continuata et permanens continentiae periodicae praxis sine causa *gravi*, culpa non vacat, quae aliquando *gravis* esse potest.

*De causis ad licitum continentiae periodicae exercitium requisitis.*

«Ex hac coniugali functione, prosecuitur S. Pontifex, eximere possunt etiam diu, immo in perpetuum, *causae graves*.» Has causas *graves* ad quattuor fontes reducit ipse Papa, sc. ad *causam medicam, eugeniam, oeconomiam et socialem*.

1.<sup>a</sup> INDICATIO MEDICA SEU PRAESCRIPATIO. In hac categoria fere omnes causae se tenent ex parte mulieris. Aliae sunt temporales, aliae perpetuae.

a) *Temporales.* 1) Status patologicus transitorius: v. g. si medicus post aliquem morbum declarat novam conceptionem esse vitandam, ut uxor possit convalescere, vel intra talem vel talem lapsum temporis morbum reproduci posse, si conceptio occurrit.

2) Debilitas virium ex labore per aliquod tempus duratura.

3) Nimia proximitas partuum, quae impedit convenientem pueri allactionem ab ipsa matre faciendam.

4) Lues aliqua localis vel generalis, etc.

b) *Perpetuae.* 1) Certitudo abortus ex experientia habita et iudicio periti medici comprobata.

2) Laessio cardiaca periculosa, tuberculosis provecta, nephritis pertinax et diurna, tumor uterinus incurabilis conceptionem impediens, a fortiori si vita mulieris periclitatur in novo partu et si patitur puerperium continua febri perturbatum.

2.<sup>a</sup> EUGENICA. Impossibilitas generandi prolem sine morbo incurabili hereditario v. g.: silphilide, alcoholismo, congenita imbecillitate, schizofrenia, caecitate, blenorragia, etc. Haec ratio valet, sed non impedit usum. Nam Pius XI docet non posse auctoritatem civilem prohibere matrimonium ratione morbi, quem patiuntur coniuges. Item S. Thomas asserit melius esse prolem sic esse quam non esse. Proles morbosa potest consequi coelum.

3.<sup>a</sup> OECONOMICA. a) Impossibilitas materialis vel saltem moralis alendi plures filios et eos convenienter educandi; numerosa proles iam habita; vera paupertas familieae.

b) Aliqui auctores habent tamquam causam sufficientem diminutionem patrimonii in filios, ut habetur quando illud est dividendum inter plures quam duos filios, aliis verbis *aliqua demissio status socialis familiae*. Hoc accideret si filii essent plures quam duo. Haec causa non valet. Ita sentit maior pars auctorum, ut statim dicemus.

c) A fortiori *non est admittenda tamquam causa oeconomica*, quae in re non est aliud nisi ostentatio *vanitatis*, metus amittendi occasione filiorum libertatem assistendi spectaculis recreativis, theatris, invitationibus conventuum nocturnorum factis ab amicis, paratis choreis, etc.

4.<sup>a</sup> SOCIALIS. Salarium modicum, domus valde restricta; labor uxorius extra propriam domum, penuria mediorum ad expensas sublevandas, cessatio a labore et alia contingentia mala, quae occurunt et in sanitatem suum influxum habent, ac maternitatem plus iusto onerosam reddunt. Si uxor habet in societate gravis momenti munus: v. g. deputati vel senatoris ad Congressum vel Senatum ferendi leges, praefecti Provinciae, aut longum iter scientificum agentis. Si certo constat de aliqua ex iis causis, licitus est, ea perdurante, usus continentiae periodicae.

NB. Munus confessarii restringitur ad consiliandum paenitenti recursum ad peritum medicum in causa necessitatis. At bene cognoscere debet motiva liceitatis perpetuae vel temporalis sterilitatis facultativae.

*Motiva moralia.* 1) Vitare onanismum vel Neo-malthusianismum, si aliter corrigi non possit; 2) Pax et concordia familiaris causata ab altero coniuge qui non vult uti matrimonio, nisi in diebus ageneseos. Ita Canal de Rosa<sup>63</sup>. Haec non est ratio sufficiens nisi forte pro coniuge paciente vim alterius, quia hic est *violator iuris coniugalis graviter* imponens innocentia continentiam periodicam. Idem dicendum est de casu, in quo alter coniux utitur matrimonio onanistice, nisi continentiam periodicam innocens coniux acceptet.

#### *Casus singularis remedii*

Contingere interdum potest casus, in quo conceptio omnino est vitanda. Generatio enim novae vitae mortem mulieris ex consilio peritorum afferret. Aliunde observatio continentiae periodicae non affert sufficientem fiduciam vel ex aliis causis est repudianda. Quod igitur

---

<sup>63</sup> CANAL DE ROSA, Rev. Ecclesia, 357, Madrid, set. 1935.

tunc erit munus vestrum? —Si ex vestro iudicio certo expertoque, mulieris condiciones postulant ut generatio prorsus excludatur, haec excludenda est; eam iubere vel suadere error est et injuria. —Quomodo ergo maternitas vitanda est? Quale vestrum consilium? —In iis etiam extremis casibus omnis actio generationem pervertens, omneque facinus in ipsam vitam vel explicationem germinis, conscientia prohibetur et excluditur, et ideo *unica* tantum via patet: *abstinentia nimirum ab omni usu perfecto facultatis generandi*.

**DIFFICULTAS.** «Tali abstinentia exigitur ab sponsis res omnino impossibilis et heroica... Nemo ad impossibilia tenetur, et nullus prudens legislator, ut suspicari licet, sua lege vult ad impossibilia obligare. Atqui coniuges diu se abstinere non possunt. Non ergo abstinentia tenetur, et divina lex nequit hoc significare.»

«In hoc argumento, «prosequitur Papa», ex praemissis partim veris, falsum quid infertur. Inverte terminos et videbis: —Deus ad impossibilia non cogit. Atqui Deus coniuges ad abstinentiam cogit, si ad naturae normas coire nequeunt. Ergo in his adjunctis se abstinere possunt. —Quod confirmatur doctrina Concilii Tridentini, capite «De observatione mandatorum, deque illius necessitate et possibilitate», referentis quedam Augustini verba hoc docet: «Deus impossibilia non iubet, sed iubendo monet: et facere quod possis, et petere quod non possis, et adiuuat ut possis»<sup>64</sup>.

Duae igitur sunt condiciones ut sponsi possint servare abstinentiam absolutam ab usu completo matrimonii: *a)* sincera et firma voluntas abstinentiac servandae, qui enim continens esse non vult, continens esse nequit; *b)* constans usus mediorum, quibus auxilium Dei imploratur et obtinetur, sine cuius auxilio homo fortem naturae impulsu et fragilitatis humanae insufficientiam vincere nequit.

N.B. Sacerdos debet esse firmiter convictus et alios convincere debet Deum impossibile non iubere, et quod cum sua gratia possibile est abstinentiam absolutam ab usu matrimonii servare.

#### *De gravitate vel levitate malitia continentiae periodicae*

Pius XII clare affirmat continentiam periodicam licitam esse, etiam per totam vitam matrimonialem, si causa *gravis* tamdiu perdurat. Quaestio igitur restringitur ad casum usus continentiae periodicae sine

---

<sup>64</sup> AAS 43 (1951) 846-847; Trid. ses. VI, c. 11: DB n. 804. S. AUGUST., *De natur. et grat.*, c. 43, n. 50: ML 44, 271.

gravi motivo *habitualiter et permanenter*, vitando prolem et *constanter utendo facultate illius propria et unice in matrimonio licita*.

Responsio fit per partes.—A) Omnes tenent esse GRAVE peccatum: 1) *si deficit* consensus alterius coniugis, quia violatur eius ius in re gravi; 2) *Posito mutuo consensu*, si diebus fecunditatis adesset periculum proximum incontinentiae pro alterutro; 3) si ex hoc usu sequeretur periculum notabilis disminutionis mutui amoris.

B) Sepositis his omnibus et aliis circumstantiis finium particularium alterutriusque, respondemus:

Omnes fere theologos ante Allocutionem Papae ad Obstetrics 29 oct. 1951 tenere esse peccatum saltem veniale talem usum *sine causa sufficienti*, et hanc doctrinam fuisse longe communiorem inter theologos non potest in dubium vocari. Alii e contra tenebant esse peccatum mortale.—Paucissimi asserebant nullum esse peccatum.

#### QUID Igitur post PRAEDICTAM ALLOCUTIONEM PII XII?

Non una est documenti pontificii DD. interpretatio. Varios casus distinguere opportet. A) Quale peccatum committunt coniuges *sine ulla prole*, qui excludunt *sine gravi causa* usum matrimonii in diebus fecundis per totam vitam vel equivalenter et habent intentionem utendi illo diebus *unice* sterilibus per idem tempus?

1.<sup>o</sup> Aliqui auctores de peccato mortali non constare statuunt: Ita Regatillo arguit: «*a)* talis erat sententia fere communis; *b)* aliud videtur deordinatio *contra sensum vitae coniugalis*, aliud grave peccatum in conscientia; *c)* ipse Pius XII frequentes admittit causas ab omni culpa excusantes»<sup>65</sup>.

2.<sup>o</sup> P. Leo Babbini respondet casui proposito: «*sine causa gravi* probabiliter onerat conscientiam coniugum peccato mortali»<sup>66</sup>. Et infra in eadem Ephemeride, addit: «Unde cogito posse adhuc disputari utrum exclusio prolis deliberata, perpetua et non fundata super motivis gravibus sit vel non peccatum mortale, et an id semper sit»<sup>66</sup>. Ratio allata est, quia satis providetur augmento propagationis et conservationis generis humani ex instincto paternitatis existente in coniugibus, et non est necessarium ut singula matrimonia generent prolem. Itaque secundum hos duos auctores probabiliter non est peccatum mortale uti matrimonio solis diebus agenesicis sine causa gravi.

3.<sup>o</sup> Plurimi auctores tenent post Allocutionem pianam esse pec-

<sup>65</sup> REGATILLO-ZALBA, *Theol. Mor. Summa*, t. III, n. 998.

<sup>66</sup> LEO BABBINI: *Palestra del Clero* 31 (1952) 244; 1951, 972.

catum grave in coniugibus, *prolem non habentibus*, illam per totam vitam excludere utendo matrimonio *unice diebus sterilibus*. Ita. S. Pani<sup>67</sup>, Oggioni<sup>68</sup>, Hürth<sup>69</sup>, nam dicit «posse peccari mortaliter excludendo prolem sine *causa proportionate gravi*»; Mondria<sup>70</sup> affirmat: «*sine ratione proportionate gravi importaret peccatum grave; probabiliter etiam quamvis intentio complectetur partem tantum, sed notabilem, temporis fecunditatis*»; Adami, apud Babbini<sup>71</sup>, et alii, quibus nos calculum nostrum adiicimus. En rationes desumptae ex ipsa Allocutione Papae.

«Moralis modi agendi coniugum liceitas affirmatur vel negatur, prout eorum intentio observandi constanter tempora agenesica fundatur vel non super causis [seu motivis] moralibus sufficientibus et securis.» Iam vero haec liceitas seu honestas est *de re gravi*, quia Papa ad excusandum ab impleenda obligatione coniugibus incumbente praestandi *prolem*, ideoque et a peccato, si obligati non implent, semper exigit *causam gravem* [*gravi motivi, grave motivo, simili gravi rationi*]»<sup>72</sup>.

In Theologia Morali *causae graves, rationes graves, motiva gravia* solum exiguntur ad excusandum ab impletione *gravis obligationis*, non levis, et ad vitanda peccata *mortalia*, non venialia. Cum autem Papa exigit *causam gravem*, ut licite agant coniuges utentes matrimonio in solis diebus agenesicis constanter, sequitur ipsos ita *sine causa gravi* agentes *peccare mortaliter*.

Probandum igitur est Papam exigere semper *causam gravem* ad excusandum a peccato tales coniuges. Ita patet ex argumentis ab ipso Papa allatis, scilicet:

a) *Ex ipso statu vitae matrimonialis.* «Lex huius status est 1) sicut confert uxoratis certa iura 2) ita imponit eis praestationem cuiusdam operis positivi [prolis nempe], respicientis ad statum ipsum.» Agitur, proinde, de *lege positiva* seu de *praestatione positiva* solvenda. Sed notetur bene, quod, secundum Papam, haec *praestatio* potest, sicut in qualibet *lege positiva*, aliquando omitti, sed solum si *causae graves, gravi motivi, independentes a bona voluntate eorum ad hanc praestationem obligatorum*, ostendunt eam non posse opportune exigi in tali casu, probant creditorem [*genus humanum, hic*] non posse ex aequitate illa petere». Ergo coniuges, nullam habentes *prolem et sine*

<sup>67</sup> S. PANI: Palestra del Clero, t. 30 (1951) 1153-54.

<sup>68</sup> OGGIONI: Rivista del Clero Italiano, t. 33 (1952) 58-59.

<sup>69</sup> HÜRTH: Per. mor. et lit., t. 40 (1951) 421 s.

<sup>70</sup> FERRERES-MONDRIA, *Theol. Mor.*, II, 1087.

<sup>71</sup> L. BABBINI, I. c., t. 31 (1952) 243.

<sup>72</sup> AAS t. 43 (1951) 847 s.

*causa gravi hanc negantes ratione continentiae periodicae constanter exercitae, peccant mortaliter.*

b) Sed dicet aliquis —Numquid omnes coniuges non habentes filios peccant mortaliter? Non. Papa restringit ad coniuges utentes matrimonio, iure nempe, quod coniuges habent ex suo vero et valido matrimonio satisfaciendi inclinationem naturalem modo legitimo. Ideo qui in matrimonio servant castitatem sunt extra hanc quaestionem. En verba Pii XII: «Coniugibus utentibus actu specifico sui status, unione sc. maritali, natura et Creator imponunt functionem (obligationem) providendi humani generis conservationi seu solvere praestationem propriam, characteristicam status matrimonialis... bonum prolis. Nam individuum et societas, populus et Status, Ecclesia ipsa quoad eorum existentiam pendent a fecunditate matrimonii. Unde inire matrimonium, et, ex una parte, uti sine interruptione facultate status matrimonialis propria et unice in ipso licita, et, ex alia parte, se substrahere semper et consulto, nulla causa gravi existente, senza un grave motivo, et hoc cohonestante, ab impletione sui officii primarii, est peccare contra vitae coniugalis sensum ipsum», seu naturam, ut vertit Springuetti<sup>73</sup>. Iam vero vitae coniugalis sensus ipse seu natura ipsa non est *in se res parvi*, sed magni momenti. Peccare, igitur, coniuges praeceps, non implendo suum primarium officium coniugale contra vitae coniugalis naturam ipsam, est deordinatio, non parvi sed magni momenti. Ideo Papa exigit *causam gravem* ad hanc deordinationem vitandam. Ergo ni velimus verba Papae suo proprio significatu destituere, tenendum est tales coniuges peccare mortaliter.

1) Dices cum P. Babbini, «Contra naturam ipsam vitae coniugalis peccari potest leviter vel graviter». Distinguo. Si res in abstracto consideretur, sub qua abstracta consideratione cadunt res leves et graves contra naturam ipsam vitae coniugalis, conc. Si res consideretur in concreto nostri casus, nagatur omnino. Ideo Papa, ut notavimus, exigit *rationem gravem, motiva gravia*, ad usum constantem continentiae periodicae ut vitetur peccatum letale.

2) Ad rationem ab ipso P. Babbini additam: «Dato il continuo aumento della popolazione del mondo, non si vede la necessità, da parte delle singole copie, di provvedere alla conservazione del genere umano. Tale obbligo esisterebbe se la popolazione mondiale, in vece di essere in aumento, fosse in notevole decrescita. Caso a cui non si arriverà forse mai, perché l'istinto de la paternità e maternità sono

---

<sup>73</sup> AEM. SPRINGUETTI, S. I., Period., l. c.

così profondamente e naturalmente radicati nel cuore degli uomini, che gli sponsi vogliono ordinariamente avere figli»<sup>74</sup>.

Resp.—Iam diximus coniuges servantes castitatem non teneri ad solvendam praestationem *prolis*, sed tantum illos, qui facultate venereorum utuntur. Certum est praestationem prolis a matrimonii fecundis necessariam esse ad existentiam et conservationem generis humani. Sed Papa non deducit obligationem solvendi hanc praestationem ex augmento vel diminutione multitudinis humanae, sed *ex usu iuris specifici matrimonialis*. Ideo ii coniuges, isti et illi concreti utuntur facultate venereorum *unice* in matrimonio licite; ideo omnes ipsi iidem concreti ad praedictam praestationem prolis independenter ab eo quod alia matrimonia individua, concreta, numerosiorem praestent problem, et ita augeatur genus humanum. Horum generosior prolis praestatio non excusat illos, nisi causam *gravem* habeant excusantem, a sua propria obligatione implenda; sicut non excusat *catholicus* non habens causam *gravem* excusantem ab audienda missa in die festo ex eo quod vicinus eius audiat vel plures missas in die festo aut in diebus ferialibus.

3) Ad rationes P. Regatillo. Ad a) Plures scriptores ante Allocutionem Papae docentes peccatum leve esse continentiam periodicam sine causa gravi, nunc docent esse peccatum grave, ut Oggioni, Adami, Ferreres-Mondría, Pani et alii.

b) «Aliud videtur esse contra *sensem vitae coniugalis*, aliud grave peccatum in conscientia.» Negatur in hoc casu concreto, ut supra dictum est in responso ad 1).

c) «Ipse Pius XII agnoscit frequentes causas ab omni culpa excusantes.» Distinguo. Si his verbis vis dicere Pium XII agnoscere plures causas *graves* ab omni culpa excusantes, conc.; si vis dicere Papam agnoscere plures causas *non graves* ab omni culpa excusantes, nego. Pius XII agnoscit quattuor genera causarum «*ex indicatione*, *quam dicunt, medica, eugenica, oeconomica et morali*. Sed causae excusantes ab omni culpa ex singulis his generibus desumptae «debent esse ex iudicio prudenti iustoque *graves*, sive haec causae sint personales sive profluente ex circumstantiis extrinsecus allatis»<sup>75</sup>. Ergo eo ipso quod Papa exigit *motiva gravia* ad excusandum ab omni culpa, implicite docet culpam *causa gravi* excusandam esse *gravem*.

<sup>74</sup> L. BABBINI, l. c., 972.

<sup>75</sup> AAS l. c., p. 846.—En verba S. Pontificis: «Da quella prestazione positiva obbligatoria possono esimere, anche per lungo tempore, anzi per l'intera durata del matrimonio, seri motivi, come quelli che si hanno non

*Confirmatur.* Natura obligationis implendi praestationem debet esse proportionata naturae iuris, cui respondet. Ius autem lícite utendi venereis in matrimonio est magni momenti in vita humana. Patet ex magna difficultate servandi castitatem; ex gravitate luxuriae directo quaesitae; ex facilitate quam habent uxorati se immunes a tali vitio servandi et simul fruendi maxima tactus delectatione... Ergo tam magno iuri concesso respondere debet magna obligatio seu *gravis obligatio* praestandi fructum usus talis magni iuris. Et ita intelligitur cur Papa exigit causam *gravem* ad excusandum a tali obligatione.

B) Quale peccatum est *post unum vel duos filios* habitos servare sine causa gravi continentiam perpetuam vel aequivalentem? — Duplex etiam hic datur sententia — Pater Babbini<sup>76</sup> asserit esse peccatum leve — Dres. Oggioni, Adami<sup>77</sup>, et alii esse peccatum grave defendunt. Argumenta pro utraque sententia sunt quae superius allata sunt in primo casu. Forte in favorem huius secundae sententiae possit addi, quod si omnes coniuges duos tantum filios haberent genus humanum multum decresceret at tandem in ruinam vergeret. Ponas esse peccatum leve, tunc quaelibet causa iusta levis — non enim requiritur causa gravis ad excusandum a culpa levi — excusaret a peccato. Omnia et singula matrimonia utentia iure coniugali facile invenirent causam iustum excusantem et lícite possent habere duos tantum filios. Ponas nunc secundum statisticas: a) 4 % matrimoniorum sterilium, quae non possunt gignere; b) 15 % ad minus ex utroque sexu, qui

di rado della cosiddetta «indicazione» medica, eugenica, economica e sociale. Da ciò consegue che l'osservanza dei tempi infecondi può essere *lecta* sotto l'aspetto morale; e nelle condizioni menzionate è realmente tale. Se però non vi sono, secondo un giudizio ragionevole ed equo, simili *gravi* ragioni personali o derivante dalle circostanze esteriori, la volontà di evitare abitualmente la fecondità della loro unione, pur continuando a soddisfare pienamente la loro sensualità, non può derivare che da un falso apprezzamento della vita e da motivi estranei alle rette norme etiche».

<sup>76</sup> BABBINI, I. c.

<sup>77</sup> Ll. cc.—Cf. LOUIS SALLERON, Prof. d'Economie politique a l'Inst. Cathol. de Paris, qui iam anno praecedenti Allocutionem Pii XII ad Obstet. cathol. Italiae scribebat: «La moral vous demande, la chasteté dans le mariage et la absence de fraude. Elle vous demande, en outre, que vous élevez un nombre d'enfants proportionnel à votre courage et à vos moyens matériels. Ce nombre peut varier. Il ne semble pas devoir être inférieur à trois... Avec trois enfants vous serez en règle avec votre conscience de parents et de citoyen. Si vous avez quatre, si vous en avez cinq, si vous en avez plus, c'est for bien».—In *Limit. de Naissances et Consc. Chret.*, p. 97, Ed. Famil. de France, Paris, 1950.—Et in nota «P. S.» sequentis pag. acceptat numerum 3, 2 infantium datum a Paulo Vincent in n. 2 ephemericis «Population» abril-juin 1950, licet hic numerus 3, 2, ait, nemini imponi possit.

ante aetatem nubilem morte praeveniuntur; *c*) saltem 3 %, qui ex una vel alia causa non possunt nubere personaliter; *d*) inter catholicos, qui celibatum ex religione profitere debent et quem liberime amplexuntur; considera haec omnia et videbis subitum decrementum generis humani. Immo tolle has omnes causas diminutionis, una celibatus religiosi excepta, et habebis patrem et matrem gignentes filium et filiam in eorum substitutionem. Et tunc, sine diminutione generis humani, unde sumes sacerdotes pro cultu divino et religiosos et religiosas virginitatem suam in Dei honorem sacrantes et vitam suam in bonum suorum fratrum, hominum, nempe, maxima tradentium caritate?

Dices.—Tale decrementum generis humani ex hoc quod coniuges continentiam periodicam sectantes duos tantum gignant filios vitatur, quia alii coniuges numerosiorem obtinent prolem, duce ipso instinctu paternitatis et maternitatis in homine existente.

Resp.—Iam dictum est supra, quod munifica in hac re obligationis impletio aliquorum vel multorum coniugum non excusat alios ab eorum obligatione etiam in hac materia implenda. Insuper, instinctus paternitatis potest vinci ex affectu deordinato commoditatis, voluptatis fruendae, avaritiae, vitandi oneris filiorum, sicut vincitur in his, qui continentiam periodicam exercent, quique in dies valde numerosiores sunt. Ponas habere tantum duos filios esse peccatum leve, a quo quaevis causa levis sufficiens liberat et quae facile invenitur, et tunc videbis quomodo quivis appetitus deordinatus vincit instinctum paternitatis, ut quotidie hoc phaenomenon «etiam inter catholicos» augeri videmus.

Praxis.—*a*) Confessarius coniuges continentia periodica utentes *cum causa gravi* inquietare non debet<sup>78</sup>.

*b*) Pariter potest *cum gravi causa* eam coniugibus insinuare<sup>79</sup>.

*c*) Potest etiam confessarius eam, *caute* tamen, illis insinuare coniugibus quos alia ratione a detestabili onanismi crimine abducere frustra tentaverit<sup>80</sup>.

*d*) Munus confessarii extra praedictos tres casus restringitur in quaestione circa continentiam periodicam ad consilium praebendum paenitenti, ut recurrat ad medicum catholicum probum, a quo in hac

<sup>78</sup> AAS 43 (1951) 845 s.; S. Paenitent., 16 iun. 1880.

<sup>79</sup> S. Paenitent. ib.

<sup>80</sup> S. Paenitent. ib.

re edoceatur.—Confessarius nunquam illam tamquam certam et infallibilem proponat. Denique abstineat ab ea commendanda vel probanda nisi in casibus praedictis, ut probatur a S. Paenitentiaria, quia id generare potest scandalum et ducere ad onanismum. A fortiori continentia periodica publice doceri nequit.

e) E contra, confessarius paenitentibus uxoratis sanctitatem matrimonii alte commendet, magnam paternitatis exponat excellentiam et dignitatem, singularem gloriam, qua parentes in coelo gaudebunt dum, fulgenti filiorum corona circumdati, hos beatos Sanctissimae Trinitatis adoratores conspicient.

A. YANGUAS, S. I.